



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

419. An, & qualiter confirmatio sit actus necessarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 419. An, & qualiter confirmatio sit actus necessarius, seu debitus canonice electo?

1. **R**espondeo: canonicè electum præsentatum, ut confirmetur, tenetur Superior confirmare, dum is est persona habilis, & non est vitium in electione, & in hoc sensu confirmatio est actus necessarius ac debitus. Donat. p. 2. tr. 1. q. 1. n. 11. citans Host. in sum. de postul. pralat. n. 1. & Gl. in c. unic. eod. tit. in 6. Pass. de elect. n. 304. Laym. in qq. de elect. q. 106. Card. de Luca de Regular. d. 13. n. 7. ubi: electo per legitimam benèque conclusam electionem acquiritur jus, adeo, ut Superior, ad quem confirmatio pertinet, sine iusta causa eam denegare non possit, atque in causa denegationis concedatur electo appellatio, vel recursus ad Papam, aliòsve Superiores, Lott. l. 3. q. 17. n. 74. (ubi: confirmatio electo denegari nequit, nisi manifestè appareat de electi indignitate; citat pro hoc Decian. conf. 18. q. 2. l. 4.) & l. 1. q. 27. n. 2. ubi ait, confirmationem esse actum necessitatis, juxta notata per Abb. in c. postquam, de elect. n. 1. ponderantem verbum *impleantur*, conceptum modo imperativo, quo utitur citatus textus: *per confirmationem petentium desideria, si nihil obstat, quod electionem impediatur, impleantur*. Atque ita confirmatio in dicto casu, nimirum electionis & electi non patientis defectum, non est liberalitatis & gratia, uti est collatio beneficii, sed necessitatis, juxta commune axioma Juristarum: *Eligere est libertatis, confirmare necessitatis*. Pass. l. cit. num. 58. juncto n. 61. & Justitia. Pass. ibid. Lott. l. 3. q. 17. n. 74. citans Bald. conf. 101. in fine. l. 5. & Rotam apud Gregor. decis. 240. n. 11. Unde, qui confirmat, non donat, sed exercet actum Justitiæ. Lott. l. 2. q. 2. n. 19. citans Anchar. Jo. And. & Imol. Et, qui petit confirmari non petit gratiam, sed Justitiam. Pass. cit. n. 58. Quod ipsum tamen in Ordine Prædicatorum non habere locum, ubi ex speciali ejus statuto non acquiritur jus electo ad prælaturam, constabit ex dicendis paulò post, idque tam respectu electi, quam electorum. Laym. loc. cit. & ex eo Pith. loc. cit. ubi: electum ex officio Superior confirmare tenetur, alioquin injuriam facit tam eligentibus quam electo, posteaquam electionem accepit, ita ut is electionem suam prosequi, & confirmationem tanquam sibi debitam petere possit; quod idem etiam electores facere possunt; cum ipsorum quoque & Ecclesiæ suæ intersit, ut legitimè electus confirmetur.

2. Ampliatur responsio primò, ita ut, citò, Capitulum totum electorum, vel Ecclesia tota eorum, qui tempore electionis erant in Collegio vel Monasterio, perierit, dum alii eorum loco sunt subrogati, adhuc electio sit necessariò confirmanda; quia semper manet Ecclesia, licet individua materialia sint mutata. Pass. loc. cit. n. 57. citans Biax. in directior. election. p. 3. c. 44. n. 5. Cuch. tit. de confirm. n. 7. Sigism. de Bonon. de elect. dab. 43. n. 5. Samuel. d. 8. contrav. l. n. 1. ubi etiam is idem dicendum putet de electione communi habenda à Capitulo subrogato, si post publicatum scrutinium Capitulum deficeret ante electionem illam communem.

3. Ampliatur secundò, ita ut Superior teneatur confirmare talem electionem non patientem defectum, etiam si regularis electus procuraret favoribus apud Superiorem, ut ejus electio in prælatum confirmetur; neque enim incidit per hoc in poenas constitutas à pontificibus contra mendicantes fa-

vores; eò quòd Bulla illa prohibeant mendicare favores pro obtinendo officio, non verò pro consequenda confirmatione debita electionis ad tale officium. Pass. cit. n. 58. citans Portel. v. officium. n. 41. Bordon. contrav. 31. n. 31. Limitat tamen hoc ipsum Pass. in fine cit. n. 58. nisi confirmatio (uti id contingit in multis casibus apud Regulares) esset liberalitatis; tunc enim non liceret eam procurare favoribus, quin incideret talis in dictas poenas, E contra

4. Limitanda responsio primò, ita ut princeps seu Papa ex plenitudine potestatis rejicere possit legitimè electum, denegatà ipsi (inrellige de cetero habili) confirmatione, si id gravis causa seu publica utilitas exigat, ut persona multò dignior & magis idonea promoveatur, ut patet ex Concordatis Germaniæ. §. *Item placet*, ubi Nicolaus V. ait: *Electiones, si canonice fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili & evidente causa de digniore & utiliore persona duxerimus providendum &c.* Laym. Pirh. ll. cit.

5. Limitanda secundò; nisi ex speciali jure & statutis quorundam Ordinum contrarium servetur; quemadmodum, ut testatur de Ordine Prædicatorum Donat. p. 2. tr. 6. q. 16. n. 4. ubi, quòd electus in hoc suo Ordine ex tali electione nihil juris acquirit; quin & quòd, quamvis ab omnibus eligatur Prior alicujus Conventus, in potestate Prælati sit eum confirmare; & quamvis eum non confirmet, non tamen restet tali locus appellandi, vel aliqua causa prosequendi, sive aliquid in foro contentioso repetendi; quia per dictam electionem jus nullum acquisivit. Item Card. de Luca de Regular. d. 13. n. 7. juncto n. 8. ubi, quòd in Ordine Dominicanorum ex speciali ejus instituto ac legibus per electionem jus nullum formatum acquiritur, per quod Generalis cessante iustà causà ex lege Justitiæ dicatur obligatus illum confirmare, sed in ejus libera potestate sit, etiam nullà assignatà causà confirmationem denegare, mandando, ut ad aliam electionem procedatur, seu aliter providendo; ita ut inter electionem & postulationem, quò ad hoc punctum in hac religione nulla dignosci videatur differentia; cum ad instar postulationis electio jus nullum tribuat, neque facultatem appellandi, vel recursum habendi adversus denegatam confirmationem concedat.

6. Verum de hoc ipso fusè agit Passerinus & ipse Dominicanus. cit. c. 33. n. 54. atq; n. 62. quòd neque in hoc suo Ordine per se cassari possit à Provinciali Priori, à Generali Provincialis electio undequaque tam ex parte sua quam electi valida; eò quòd clausula illa: *si bene visum fuerit* quà utitur in hoc puncto confirmationis dicti Ordinis constitutio, non tribuat facultatem omnino liberam, sed arbitrium boni viri, quòd jure communi regulari debet, ut Paris. conf. 8. n. 4. Bartol. in l. fin. §. sed & ff. c. de legat. peregrin. decis. 239. in fine. l. 2. & Roma apud eundem Pass. n. 60. ita ut, si quid commissum ad arbitrium boni viri, is teneatur servare omnes regulas juris communis, ut Menoch. conf. 69. n. 4. & 5. Tusch. lit. A. conclus. 470. n. 2. Barbof. axiom. 32. n. 2. Cravet. conf. 612. n. 11. apud Pass. loc. cit. jus autem commune sit, ut electio ex nulla parte deficiens canonicè confirmetur, cui juri communi derogare non voluerit constitutio illa Ordinis Dominicanorum, neque poterat sine speciali auctoritate Apostolica; sed, ut Pass. n. 63. electio undecunque valida possit per accidens cassari, & non confirmari à Superiore. Idque ex duplici capite, nempe vel ob circumstantias extrinsecas per acci-

dens contingentes, ut dum electus per intrinseca dignissimus veluti ab extrinseco redditur non idoneus ex eo, quod v.g. non sit acceptus Principi vel patrono loci, ubi est conventus, & vel hinc timeantur gravia incommoda aut scandala; in quo casu seu ob quam causam non esse confirmandam electionem, docent Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 9. n. 4. citans Turrecrem. in c. si forte, d. 63. Felin. in c. 2. de rescript. n. 2. Peyr. in subd. tom. 1. q. 1. c. 7. concl. 4. vel propter votum obedientiæ, dum nempe ob bonum commune Religionis, videret prælato conveniens non confirmare electionem aliàs maximè legitimam, & electo ad prælaturam uti vult ad ministerium aliud incompatibile cum ea prælatura; & generaliter ob quamcunque causam, quæ est juxta regulam, ex qua præcipere potest electo, ut electioni & prælaturæ renunciet, cassare potest electionem quantumcunque validam; adeoque clausula illa: *si ei visum fuerit*: ut habet Pass. n. 64. denotet arbitrium, quod habet confirmator ad decernendum, an condiciones illæ adsint, quæ electionem reddant validam vel invalidam, & vel sic arbitrari, an sit confirmanda nec ne; aut etiam denotet facultatem illam, quam habet ordinandi electionem ad bonum commune; vel denique denotet arbitrium seu potestatem illam, quam habet ex voto obedientiæ subditi talis Superior ad præcipiendum electo, ut non sit prælatus, & vel sic ad non confirmandum illum, & cassandam electionem. Verumtamen nec sic adhuc afferri aliquid, ait Pass. n. 65. quod sit speciale in suo Ordine; cum & alii seu omnes confirmatores possint per accidens cassare electionem aliàs validam, si sit in grave damnum boni communis; & quilibet Prælatus regularis possit ex vi voti obedientiæ in casu, in quo id sit secundum regulam, præcipere subdito, ut non sit prælatus. Sed neque importari quicquam per clausulam illam: *si ei videbitur*. ut ea non sit superflua; cum vel sic per illam nihil magis exprimat, quam si diceretur, quod Superior debeat confirmare; quia id semper & non aliter intelligitur esse verum, quam per se loquendo, & absque præjudicio boni universalis Ecclesiæ, vel Religionis, vel voti obedientiæ.

7. Negat insuper Pass. n. 66. & 67. quod tradit Sanch. l. 2. opusc. c. 1. dub. 6. n. 4. citato Salon. 2. 2. q. 63. a. 2. controv. 4. ad quos accedit Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 8. n. 4. (limitans tamen id ipsum cum Lezana. p. 2. c. 12. n. 39. ad casum, in quo constaret evidenter relictum, seu non electum esse digniorem) nempe quod in Ordine Dominicanorum possit Superior cassare electionem digni ex eo, quod videret omissum digniorem, seu non teneatur confirmare electionem digni in concursu dignioris, & sic nedum cassare electionem per accidens ratione alicujus damni emergentis, sed per se ex hoc solum capite, quod sit minus utilis bono communi, & quod possit dari melius, & bono communi utilior electio (quod ipsum est contrarium juri communi præcipienti, non cassari electionem digni, seu non negari confirmationem digno; etiam in hoc casu concurrentiæ cum digniore; Idque in favorem electi, & ne hoc prætextu oriantur multæ lites & contentiones) etiam his non obstante, quod in hoc Ordine, ut admittit Pass. non acquiratur electo jus ad prælaturam, ratione cujus ille agere possit ad sui confirmationem, aut non confirmatus queri de injuria sibi facta; utpote cui favori renunciavit hic Ordo. Consequenter & negat hanc facultatem,

seu arbitrii non confirmandi in hoc casu digni, signari per clausulam illam: *si ei videbitur*; seu ad arbitrium suum: Idque etiam ex hoc capite, quod, dum dicitur arbitrium boni viri regulandum secundum jus, intelligatur id solum de jure naturali (contra quod non faceret ob majus bonum sui Ordinis, negando confirmationem tali electo; utpote per electionem non acquirenti jus, quod laderetur) sed etiam de jure scripto, pro quo quamplurimas citat Rotæ decisiones, & AA. Quapropter ipse Pass. n. 67. concludit ex eo, quod in Ordine Prædicatorum confirmatio est commissæ arbitrio Provincialis, non sequi, quod is possit contra jus commune & doctrinam S. Thomæ & DD. non confirmare electionem digni; esto, quod electio in hoc Ordine electo non conferat jus: sed id solum, quod in confirmatione possit alicqualiter temperare rigorem juris, ubi id ratio & rationabilis causa postulabit, & relicto altero rigoroso, servare æquitatem. Idque ipsum denotetur, & non plus, per dictam clausulam: *si ei videbitur*: vel ad arbitrium, utpote quæ clausula, non obstante, quod arbitrium etiam secundum leges & jus commune regulandum sit, id efficit, quod det facultatem relaxandi aliquid de jure, ut Rota decis. 224. n. 5. decis. 450. n. 1. decis. 578. p. 2. adeoque ex hoc capite adhuc dicta clausula non sit superflua. Verum id ipsum, nempe in quo puncto relaxandi rigorem facultatem habeat talis Superior, non explicat Pass.

Quæstio 420. Quid faciendum, ubi is, qui habet confirmare, non vult confirmare?

1. R Espondeo primò: si denegat injustè confirmationem, recurrendum est ad Superiorem confirmatoris, qui potest ac debet eum compellere, præfigendo illi tempus, intra quod confirmet; vel aliter ipse Superior jure ad eum devoluto (etiam, ut addit Pass. sine intimatione ulteriore) confirmet. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 2. n. 10. Pass. cit. c. 33. n. 56. citans Gl. in rubric. de postul. in 6. Abb. in c. nullus. de jurepat. Cucham. tit. de confirm. n. 37. Lavor. de elect. c. 25. n. 44. Castellin. de elect. c. 14. n. 15. & 16. Et si enim tempus ad confirmandum à jure determinatum non sit (de quo infra) in casu tamen denegatæ injustè confirmationis illud ipsum præfigere potest Superior illius. Pass. loc. cit. citans Lavor. de elect. c. 25. n. 44. Abb. in c. postquam. de elect. n. 8. Rotam in Legionens. confirm. 23. Jan. 1617. Et quidem tempus illud assignandum breve esse debet, & non excedere sex menses, ait ibid. Pass. ex Lavor. loc. cit.

2. Porro, an liceat confirmatori dare pecuniam, ad hoc, ut desistat ab injusta vexatione, non convenit inter omnes. Sorus de just. l. 9. q. 6. n. 1. apud Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 16. n. 1. censet id esse simoniacum, eo quod confirmare sit quid spirituale, adeoque vendi non possit; quod ipsum confirmat Donat. ex eo, quod talis datio pecuniæ non tantum tenderet ad tollendam iniquam vexam, sed & ad sternendam sibi viam ad confirmationem; & non daturus pecuniam, nisi intenderet hanc viam consequi confirmationem; adeoque ex intentione obtinendi spirituale det temporale, quod est simoniacum. E contra admittit Pasquil. decis. 235. n. 3. apud eundem Donat. loc. cit. n. 3. posse dari pecuniam purè ad redimendam vexam; eo quod tale pretium non ordinetur ad confirmationem, nec detur ex intentione confirmationis obtinendæ, et si talis intentio adsit, sed purè ad hoc, ut confirmator desistat à duri-